

XIII.

RECTOR  
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

Ad

DOMINI  
GEORGGII  
BOSSII,

Senatoris Prudentissimi, Nosoco-  
mii Georgiani Curatoris meritissimi,  
Mercatoris nominatissimi,

EXUVIAS

*hora III. hodie XXVII. Julii M DCC.*  
tumulandas

CIVES SUOS  
invitat.



Hist. Saxon. D.

40, 72



Ionysium Seniore, Siciliae Tyrannum, Historici narrant, utut sexagenarium nullum funus liberorum, nepotum, cognatorumve vidisse. Bentivoglio Italus quadraginta annos numeravit, quibus suos omnes vivere florereque gavisus est. Quae felicitas, licet aliis etiam contigerit, satis tamen rara est. Antonius de Guevarra scripsit, viventem quinquaginta annos, nil nisi mortes suorum vivendo superare. Quod si familiis aliquibus diu parcere mors videtur, deinde frequentia funerum tarditatem compensat. Etenim, ut verba usurpemus Intimationis Wittebergensis Anno 1562. scriptae, Tomo V. Intimationum conjunctim editarum I. 3. mirifice fieri animadvertitur, & de causis occultis, ut unum in una gente funus sequantur gentilia & familiaria plura alia: aut quae in alia Intimatione ejusdem Anni Tomo eodem T. I. legimus, ignorata de causa, vel occulto potius judicio DEI, hoc fieri animadvertitur, ut funus unum in familiis, non maximis intervallis plura sequantur. Utraque verba adduxit Georgius Richter, Ecclesiastes Gorlicensis, in Axiomatibus Oeconomicis ad Regulam CXX. pag. 261. constituendam. Exempla nulla adjecit, quod ea tum in vita humana subinde occurrerent, tum ii fuissent, in quorum exequiis intimationes illae factae erant. Nos vellemus exempla nunc non esse, quae subscriberemus ex familia Bosiana hujus Urbis nobilissima, cujus duas columnas, duos fratres, duos Patres, duos Civitatis Senatores parvo intervallo mors evertit. Nam die XXV. Aprilis hoc anno DN. CASPARUM BOSIUM extulimus, hodie vix trimestri elapso, DN. GEORGIUM BOSIUM tumulamus. Miramur cladem familiae inclutae, condolemus, causas ignoramus, occultam Numinis Supremi voluntatem taciti suspicimus. Relinquimus occultam, quam temere & frustra rimaremur, dum sanctam bonamque esse certissime novimus. Bona est fratribus defunctis, quos DEUS Pater sibi charos habet filios, in filio suo unigenito adoptatos, Spiritus Sancti gratia sanctificatos, in fide vera & vita pia usque ad finem conservatos, & nunc in beatorum numerum assumptos. Tristis voluntas haec accidit conjugibus viduis, nec tamen alia quam bona voluntas ipsis esse potest. Socias mœrorum & lamentationum DEUS sanctissimus esse voluit. Idem misericordissimus in silentio & spe invocantes consortes faciet caelestium consolationum, quibus abundantes una alteram ex gratiae ubertate erigere certabunt. Tristes sunt liberi: Amiserunt Patres in terris, habent unum Optimum, potentissimum, certissimum in caelis; huic fidendo, & Patrum beatorum, Matrumque praestantissimarum pietatem & virtutes imitando, erunt illius filii charissimi, boni viri, boni Cives, & Civitatis totius ornamenta; erunt

erunt Filia ejusdem dilectissimæ, familiarum delitiæ & solatia. Nos, qui beati Caspari Bosii vitam laudandam posteris, imitandam liberis ante descripsimus, in præsentem GEORGII BOSII vitæ cursum iisdem de causis consignabimus. Eum patria, Lipsia nostra, excepit Anno MDCL. d. 5. Januar. hora 1. noctis natum DN. JOH. ERNESTO BOSIO, Senatore Civitatis, Ædili, & Templi Thomani Antistitorem meritissimo, Matre REGINA nata WINCKLERIA. Avus paternus ei fuit DN. CASPAR BOSIUS, Vir itidem Senatorius, Ædilis Senior, & Antistitor Templi Thomani, Avia paterna CATHARINA, nata SCHREINERIA; Avus maternus, DN. GEORG. WINCKLER, Hæreditarius in Dölitz & Stinz, Mercator spectatissimus; Avia materna, URSULA, nata SCHACHERIA. Cum puer Religionis Christianæ initiis imbutus esset, Præceptores eruditissimi, M. Cnorrius, quem deinde Aula Comitum Palatinorum Sulzbaensis Consiliarium habuit, & M. Samuel Reyherus, nunc Juris Doctor & Professor Kiloniensis celeberrimus, literarum studiis ingenium ejus docile excoluerunt. Ab iisdem fundamenta Matheseos addidit, studii nobilissimi utilissimique, cum quo per totam vitam multum se delectavit. Nam non solum in Belgium admodum juvenis a Patre missus, in Schola Gallica Petri Schmidii, Mathematici Lugduni, ei diligentissime incubuit, sed & ab officiis publicis & mercaturæ negotiis abstrahi non potuit, quin matutinas horas studio suo, præcipue Architecturæ Civili impenderet. In quem finem cum viris ea in re doctis & collocutus sæpe est, & literarum commercia habuit. Peritiam ejus, quam sibi comparaverat, Leonhardus Christophorus Sturmus, Professor Mathematicum Guelferbyti celebratissimus, in Dedicatione libro Nicolai Goldmanni de Architectura Civili, qui sumptibus Bosii nostri excusus est, præmissa ample laudavit. Eandem, quam in mente habuit, ædificia, tam in urbe quam extra eam, hortusque ipsius symmetria sua accuratissima pulcherrimaque exprimunt. Ejusdem documentum luculentum semper erit ergasterium, quod Amplissimus Urbis Senatus diu desideratum maleferiatis hominibus struit. Ichnographiam enim, volente Senatu, Bosius fecit, idem director opus dexterrime perfecturus, nisi facta obstirissent. Cum autem mercaturam Patris exemplo exercere ipsi placuisset, apud Franciscum Partickium, prudentem Amstelodami mercatorem, tirocinii quinque annos exegit. Quo tempore periculose decubuit semel febre ardente, iterum pustulis. Aërem ergo suæ valetudini adversum sentiens, & Gallicam Italicamque linguam expedite loquens, discessit. Hinc in Belgio Hispanico Gallicoque, in Anglia, Gallia, Helvetia, Italia, Germania, urbes præcipuas, & emporia nominatissima adiit, in iisque, quæ ad se pertinerent, quibusve patriæ prodesse posset, sollicitè observavit. Anno MDC LXXI. Pater revocatum in societatem mercaturæ in auro & argento, Electorali Saxonico privilegio fretæ, una cum fratre ipsius charissimo, Casparo, assumpsit. Qui ambo fratres post mortem Parentis continuarunt feliciter, tantumque sua solertia incrementum ei dederunt, ut in Electoratu tam Saxonico quam Brandenburgico, perquam multi homines ex operis in eam collatis vitam suam sustentarent, & ipsa negotiatio hæc tam amplitudine quam præstantia, nulli in Europa cederet. Hunc virum virtutes suas etiam in civitatem conferre decuit. Ideo Senatus inclutus eum mense Decembri An. MDC LXXIX. quartæ regionis Hallensis signiferum constituit; An. MDC LXXXVI. in ordinem suum cooptavit. Hinc An. MDC LXXXIX. Assessor Judicii Prætorii, & loco Fratris Capitaneus Regionis Grimmensis, Anno MDC XC. & XCVI. & XCVIII. Assessor Judicii in causis Commerciorum, & Administrationis Prædiorum nobilium, tandemque Nosocomii Georgiani Curator constitutus fuit. In quibus omnibus magna cura & fide versatus est. Vivente adhuc Patre dilectissimo, Anno

MDCCLXXV. d. XIII. Aprilis nuptias fecit cum florentissima lectissimaque Virgine, ROSINA ELISABETHA, Nobilissimi ac Prudentissimi Viri, DN. WILHELMI à RYSSEL, Senatoris, Aedilis Senioris, Scholæ Thomanae Curatoris filia. Ex qua amantissima conjuge sua suscepit REGINAM ELISABETHAM, DN. JOH. GEORG. RICHTERI, Signiferi civici in quarta Regione Grimmeni, & Mercatoris nominatissimi uxorem, JOHANNAM CHRISTIANAM, MARIAM ROSINAM, ERNESTUM WILHELMUM, liberos moestissimos superstites. Reliqui Johanna Rosina, Georgius, Juliana Sophia, Magdalena Sibylla, Georgius Wilhelmus, Henricus Leonhardus, & Ursula Charlotta in beata vita Patrem suum exspectarunt, & læti nuper exceperunt. Has domus suæ calamitates noster patienter tulit, & DEI Patris has esse plagas bene intellexit. Cæterum præbuit se omnibus, ut plenus officii ac studii haberetur; egenos ac pauperes, atque inprimis extorres & exules, nullos tristes a se, & sine stipite aut liberalitate aliqua dimisit; miserorum necessitates sæpe cum detrimento facultatum suarum levavit. Cum enim pius in DEUM esset, non poterat eos negligere. Benevaluit per multos annos validam corporis constitutionem habens. Hinc cum in itinere necessario d. VII. hujus mensis insolito frigore corripere-tur, & post id infirmus aliquo modo esset, non admodum curavit, quod symptomata usque ad diem XII. Julii abessent, ipseque obambulare valeret. Enimvero post eum diem appetentia ciborum decedente, tertiana febris continua adfuit. Suspicientes Medici malignitatem sollicitè & diligenter remedia optima adhibendo, quæ noverant, ei occurrerunt. Omnia tamen ea frustra fuerunt. Nam indies Symptomata periculose, puta singultus insolitus, & diebus totis durans, purpura, deliria levia advenerunt. Inter hæc æger subinde ad se rediit, & die mortem antecedente, mane ardentè precatus, sacram Cœnam accepit, ut ad diem suum beata obeundum, si DEUS ita vellet, paratus esset. Assedit etiam suis tam prudentibus, quam cœnantibus, cibi aliquid capiens: unde ipsi de valetudine mariti Patrisve recuperanda spem concipiebant. Verum die Veneris, XXIII. Julii, paroxysmus vehementer ingruens fecit, ut vesperi hora dimidia septima, inter preces conjugis, liberorum, cognatorum & amicorum placide & beate exspiraret. Vixit annos L. menses VI. dies XVIII. Orphei sectatores, teste Clemente Alexandrino in III. Stromatum libro, Corpus dixerunt claustrum, quo anima velut in carcere quodam servetur. Post lapsum primi Homini in peccatum, Anima sibi corpus velut ergasterium struit, ac inclusa per hanc vitam circumgestat, in quo sæpe cum Paulo ingemiscit, *Rom. VII, 24.* Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis hujus? BOSII nostri Animam DEUS liberavit, & in cœlestem domum reposuit. Socrates apud Platonem in Phædone fol. 401. rogatus, quemadmodum sepeliri vellet, respondit se avolaturum, nec quicquam sui, quod sepeliri possit, relicturum, interprete Cicerone lib. I. Tuscul. n. 103. Ex errore hæc dixit gentilis homo, qui corpus ad se non magis pertinere, quam captivum ad ergastulum putavit. BOSIUS Vir Christianus non ita: sed corpus suum olim reddendum Animæ, Christiano more sepeliendum nobis reliquit. Sepeliamus ergo, Cives Academici, hodie hora III. exuvias Viri de Civitate hac, & de plurimis bonis bene meriti, atque simul hoc officio nostræ pietatis solemur Socerum ætate & meritis honoratissimum; Solemur viduam ac universam familiam nobilem moestissimam. P. P. die XXVII.

Julii Anno recuperatæ gratiæ M DCC.

H. Jax. D. 40, 72